



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatum Serie Vigessim-Octavum De Matrimoniis, &  
Sponsalibus, cum Indicibus necessariis

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

An certitudo, opinio, vel dubium de Matrimonij contracti nullitate impediat  
eius vsum. §. 9.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76659)



- 3 *Astrictus religionis voto peccat matrimonium contrahens, etsi animum habeat ante consummationem Religionem ingrediendi.*
- 4 *Quid si ex mutuo consensu coniuges Religionem voueant ante consummatum matrimonium.*
- 5 *Si post consummatum matrimonium Religionem ex mutuo consensu voueat, nemo tenetur ingredi, alio non ingrediendi.*

1 **V**ouens matrimonium non contrahere peccat grauius matrimonium contrahendo, an verò peccet illud consummans? Alij affirmant, alij negant, vt videre est apud Sanch. lib. 9. disp. 34. à n. 6. Verius existimo peccatum, si non constet expresse voluisse ad solum contractum se obligare, eo quòd vouens à matrimonio abstinere præcipue vouere censetur abstinere à copula, quæ matrimonio annexa est, cum ex affectu castitatis illud votum emisit. Neque his obstat, quod iurans contrahere matrimonium satisfaciat iuramento matrimonium contrahendo, tamen illud non consummat; quia matrimonij contractus imbitum in se habet conditionem, nisi meliorem statum elegero, at abstinentia à matrimonio potius imbit conditionem abstinenti à copula quam econtrari; eoque videtur vtrumque sub voto comprehensibile. Atque ita docet Ioann. Azor. 1. 1. lib. 11. cap. 2. 1. quæst. 7. Basili. Ponce, lib. 10. cap. 5. num. 16. consummato autem matrimonio licite poterit petere, & reddere, quia non est verisimile sub prædicto voto ea comprehendisse, aliàs effectus votum absolutæ castitatis. Quod conuincitur ex his quæ tradit Sanch. d. disp. 34. num. 7.

2 Deinde vouens sacros Ordines suscipere sine dubio grauius peccat matrimonium contrahendo, maxime si animo consummandi contraxeris; cum te reddas voti executioni impotentem. Si autem animo ingrediendi religionem contrahas, peccas tum ob periculum desistendi ab ea intentione, & consummandi matrimonium: tum ob deceptionem coniugij factam, quæ nullatenus contraheret, si cum animo agnosceret. Contracto matrimonio non tenetur Religionem ingrediendi sit medium vnicum voti exequendi, quia non censetur obligatus ad adsumendam medium ipsa re promissa difficultus, vt expresse decisum est à Ioann. XXI. in extrinsec. Antiqua de Voto. Quare & petere, & reddere debitum potes; quia id voto non repugnat, sicuti tradit Coninch. disp. 34. dub. 7. n. 54. Basili. Ponce, lib. 10. c. 5. n. 15. Mortua verò vxore, vel adulterante, vel Religionem ingrediente teneris votum implere, quia licite præstare potes, vt bene aduertit Coninch. supra.

3 Si verò astrictus es Religionis voto peccas matrimonium contrahendo, tamen si animum habeas ante consummationem Religionem ingredi, tum ob periculum non exequendi votum, tum ob coniugis deceptionem, obligatusque es ante consummatum matrimonium votum implere, nisi forte consummatio matrimonij necessaria sit, vt obligationi ex iustitia debite satisfacias, eo quòd sub spe coniugij coniugem stupraueris. Consummato matrimonio licite petere, & reddere potes, quia votum religionis cum non sit votum castitatis non te obligat abstinere à prædictis. At si coniugis moriatur, vel adulterium committat, aliàmque causam diuortij tribuat, obligatus es votum exequi, quia impeditus non es, vt tradit ex communi sententia Sanch. lib. 9. disp. 33. quæst. 2. & disputat. 35. num. 10. Azor. 1. 1. lib. 11. cap. 2. 1. quæst. 8. Basili. Ponce, lib. 10. cap. 5. num. 4. Coninch. disputat. 34. dub. 7. num. 51.

4 Sed quid si ex mutuo consensu coniuges Religionem ante consummatum matrimonium voueant, peccantne matrimonium consummando; Huic quæstioni optime respondet Coninch. d. ita disputat. 34. dub. 7. à num. 57. adhibita distinctione, si nem vnusquisque voueat Religionem dependenter ab alterius in Religionem ingressu, non peccant matrimonium non consummando, quia nemo obligatus fuit Religionem ingredi nisi altero ingrediente. Quod si vterque nolit ingredi, vterque liber est ab obligatione, siquidem deficit conditio ad voti obligationem necessaria. At si vnusquisque voueat Religionem, non quidem dependenter ab alterius in Religionem ingressu, sed dependenter ab eius voto, eo quòd promiserit, Religionem ingredi, si alius similem præstiterit promissionem; promissione ab vtroque facta quilibet tenetur Religionem ingredi, esto alius non ingrediatur; quia appropria fuit conditio ad obligationem voti requisita. Quo casu manifestum est, vtrumque mortaliter peccare matrimonium consummando, cum exponatur euidenti periculo votum non exequendi vel quia alter nolens Religionem intrare partem cogit ad secum cohabitandum, vel quia ex copula habita redduntur impotentes ad ingressum, si forte filius concipiatur.

5 Verum si post consummatum matrimonium Religionem ex mutuo consensu voueant, nemo tenetur Religionem ingredi alio non ingrediente, nisi forte vxor senex sit, & de inconcinnitate periculo minime suspecta. Quo casu solum de Ferà, Castro, Sum. Mor. Pars V.

peccat ille per quem stat, quominus votum impleretur alius nempe impotentia excusatur. At si nolo ingredi moriatur, vel occasionem diuortij dederit, alter obligatur ingredi, si Religionem aptus sit. Quandiu verò non ingrediuntur copulæ vacare possunt, nisi periculum sit concipiendi, ob quam causam impediuntur à Religionis ingressu: hæc omnia notauit Coninch. disp. 34. dub. 7. num. 63. Et consensit Basili. lib. 10. cap. 4. num. 20.

§. IX.

An certitudo, opinio vel dubium de matrimonij contracti nullitate, impediat eius usum?

- 1 *Ob nullam causam petere, vel reddere debitum potes certus de matrimonij nullitate.*
- 2 *Si solum opinionem habeas nullitatis reddere teneris petenti.*
- 3 *Affirmant Sanch. te petere posse.*
- 4 *Verius est distinctione esse vtendum.*
- 5 *Quoties impeditus es à petitione debiti, alter non tenetur tibi reddere.*
- 6 *Si dubius es de matrimonij valore, & cum eo dubio contraxisti, non potes petere. Secus si bona fide fuit matrimonium contractum.*

**O**mnes Doctores aduersus Magist. in 4. d. 38. in fine. & Hugo de sancto Victore de Sacram. part. 11. cap. 6. firmant ob nullam causam posse petere, vel reddere debitum qui certus est matrimonium contractum esse nullum; esto nullitas proveniat ex impedimento iure humano introducto, eo quòd accederet ad non suam, & consequenter fornicationem committeret, quæ intrinsecè mala est, & nullo sine honestari potest, sicuti expresse definitur cap. inquisitioni 44. de sententia excommunicat. Et capit. litteris de restitut. spoliat.

Neque his obest, quòd Episcopus sub excommunicatione præcipiat matrimonij usum, quia illud præceptum procedit ex falsa præsumptione, quæ credit nullum subesse impedimentum, ac proinde in conscientia nullam inducit obligationem. Neque item præsumi debet Episcopus ea coactione vtens velle in impedimento dispensare: tum quia sæpe impedimentum est quod humana autoritate tolli non potest. Tum quia detecto postea impedimento coniuges separantur, quouique dispensatio obtineatur, & denud contrahant. Signum ergo euidentis est antea dispensatum non esse.

Quapropter coniugij sic astricto nullum superest remedium, nisi arripere fugam, vel remouere impedimentum, si in sua est potestate, vel illius dispensationem querere, si dispensabile est. An autem remouere impedimentum teneatur, si eius culpa contractum sit postea dicemus, cum de reualidatione matrimonij sermo habebitur.

Quod si certus non sis de nullitate matrimonij, sed solum opinionem habeas, reddere teneris petenti, neque villo modo de matrimonij valore dubitanti, vt cum D. Thom. in 4. d. 1. 1. quæst. vnica art. 5. q. 1. ad 3. docent Nauarr. capit. 22. numero 81. Henric. lib. 12. de matr. cap. 6. num. 7. Rodrig. sum. cap. 243. num. 4. Petr. de Ledesma. de matr. quæst. 45. art. 1. dub. 2. in solut. ad 3. Sanch. lib. 2. disp. 44. num. 3. Gutier. de matr. cap. 49. à num. 23. definiturque expresse in cap. inquisitioni de sentent. excommunicat. ibi, Si habeat conscientiam ex credulitate probabiliter, & discreta quamuis non euidenti, & manifesta reddere debet. Item non licet tibi ob opinionem, quæ falsò subesse potest alterum suo iure, & possessione priuare: maxime cum ex parte illius sit certitudo moralis matrimonium validum esse, cui certitudini præferri tua opinio non debet. Quod si dicas te periculo fornicandi exponere accedens ad eam quam probabiliter credis non esse tuam? Facile responderetur negando te periculo morali fornicationis exponi, cum non accedas ad eam quam moraliter credis esse alienam, sed quam solum probabiliter credis esse tuam.

Difficilius est, an possis petere debitum, si cum ea opinione nullitatis matrimonium contraxisti? Affirmat alijs relatis Sanch. lib. 2. disp. 41. num. 9. Gutier. cap. 49. num. 27. eo quòd tibi licitum sit opinionem probabilem sequi relicta probabiliori, ac opinans illud matrimonium esse nullum, simul opinaris validum esse, potes ergo cui malueris adherere. Neque obest quòd in dubiis turior pars sit eligenda. cap. si quis autem de pœnit. dist. 7. cap. inuenis de sponsalib. c. ad audientiam, & cap. penult. de homicid. id enim intelligendum est de dubio, an sit aliquid licitum, vel illicitum, quodque vocatur dubium practicum, non verò de dubio speculatio, quo dubitatur, an hæc res sit tua, vel aliena, an ad sit præceptum, vel non ad sit, quo dubio stante certissimum esse potest nullo præcepto astringi, prædictaque te vt posse, vt rectè tradunt



Sanch. & Gutierr. loc. alleg. & Coninch. disp. 34. dub. 10. num. 88. Et diximus latè, 1. part. tract. 1. de conscient. disputatio. 2. & 3.

- 4 Ceterum in hac re distinctione utendum est, & examinanda nullitatis causa: si enim impedimentum sit iuris Divini, & naturalis, eo quod probabiliter credas tempore contracti matrimonij coniugem vivere, etsi probabilis existimes mortuum esse, nequaquam debitum petere potes, quia iniquè ob solam opinionem coniugem priorem spoliatis iure sibi quaesito, & possessione, quam in tuum corpus habet, ideòque in cap. in presentia 19. de sponsalib. statuitur neminem ad secundas nuptias transire posse, quin ei constet de prioris coniugis morte. Neque obest cuilibet licitum esse opinionem probabilem amplecti, quia esto sit opinio probabilis de morte coniugis, & de matrimonij valore, non tamen est probabilis opinio ea solutim opinione stante tibi licitum esse matrimonij contractum, neque usum illius. Ab hac tamen doctrina excipi debet impedimentum impotentiae, cuius opinio, vel dubium matrimonio contrahendo eiusus vsui non obstat, eo quod stat possessio, & praesumptio pro potentia, dum manifestè contrarium non probatur, neque alius est modus inuestigandi veritatem quam matrimonij vsu, ideòque à iure dubitantibus de impotentia conceditur experientia triennalis, iuxta cap. laudabilem. s. de frigid. & maleficiat. & notatur Vazq. disp. 66. cap. 4. Montefin. ibi disp. 29. quest. 4. Lorca disp. 88. Basilius Ponce, lib. 10. de matr. cap. 15. num. 14. Hurtado de matr. disp. 10. diff. 9. in fine.

At si impedimentum solo humano iure inductum sit adhuc subdistingendum est cum Aegid. de Coninch. disp. 34. dub. 10. num. 104. si enim tempore contrahendi matrimonij opinionem, vel dubium habeas subesse impedimentum, & diligentia facta ad veritatem inuestigandam vincere dubium non potuisti; à matrimonio contrahendo, eiusus integro vsu non impediris, quia dum tibi non constat de impedimento iure humano inducto liberum te reputare debes ob possessionem innatè libertatis. Verum si tibi constat impedimentum subesse, nescis tamen certò, an dispensatione sublatum sit, sed tantum probabiles rationes habes, iniquè matrimonium contrahis, & nullatenus debitum petere potes, etsi obligeris reddere: quia stat possessio pro impedimento, secus esset si tibi constaret dispensationem obtentam esse, & probabiliter dubitares de illius nullitate, quia eo casu stat pro dispensationis valore impedimentum cessatio possessio.

- 5 Illis eventibus quibus mala fide matrimonium contraxisti ob cuius causam impeditus es à petitione debiti; alius id cognoscens non tenetur tibi petenti debitum concedere, quia ubi nulla est petitio, nulla est culpa illius negatio. Quod si ex tua alteriusque parte mala fides adfuit in matrimonio contrahendo nec petere nec reddere potestis, sed thoro separari deberis, quia neuter ius acquisivit, ratione cuius redditus honestari possit, ut bene notarunt Henricq. lib. 1. cap. 11. num. 5. Sanch. lib. 9. disp. 42. num. 7. & lib. 2. disp. 41. num. 54. & seqq. Coninch. disp. 34. dub. 10. num. 102. Gutierr. cap. 49. de matr. num. 30.

- 6 Tandem si dubius sis de valore matrimonij, omittis opinionibus, quas latè refert Sanch. lib. 2. disp. 41. q. 4. à num. 42. Et ex illo Gutierr. cap. 49. à n. 28. breuiter iuxta supradicta dicendum est, si tempore contractus sic dubius de impedimento fuisti, ut illicitè contraxeris; etsi teneris debitum reddere alteri bonà fide contrahenti; quia cum iure suo spoliare non potes; at petere tibi non permittitur; quia stat pro impedimento possessio, & mala fides impedit, ne matrimonio utaris cum periculo fornicationis, sicuti expressè definitur in cap. Dominus de secund. nuptiis, uti tradit D. Thom. communiter receptus in 4. d. 38. in fine. Sanch. pluribus relatis lib. 2. disp. 41. num. 45. Gutierr. capit. 49. numero 28. Coninch. disputat. 34. dub. 10. concl. 3. num. 101. At si tempore matrimonij contrahendi bona tibi adfuit fides, ob superueniens dubium vel opinionem de matrimonij nullitate non impediris à debiti petitione, quia ratione contractus bonà fide celebrati us & possessionem acquisisti in alterius coniugis corpus. Non igitur ob superueniens dubium deturbat à possessione debes. Neque contrarius est Textus in cap. inquisitioni de sentent. excommunicat. nam esto indistinctè loquatur, intelligendus est ante veritatis inquisitionem, vel de illis qui dubij fuerunt tempore matrimonij contrahendi. Atque ita docer plures referens Sanch. lib. 2. disp. 41. num. 46. & 47. Coninch. d. disp. 34. num. 105.

### §. X.

#### Quibus in eventibus excuseris à debiti redditione?

- 1 Excusaris, si coniux adulterium commisit te fidem seruante.
- 2 Item si diuortium legitime factum sit.
- 3 Praeterea si coniux legitime cedit iuri petendi.

- 4 Item excusaris, si prudenter times aliquid graui damnum inde tibi prouenturum.
- 5 Deinde excusaris, si proli concepta nocumentum afferat.
- 6 Emitteri votum castitatis regulariter non teneris reddere.
- 7 Idem est si affinitatem ex incestu contraxeris.
- 8 Plures afferunt excusare ab obligatione reddendi debitum difficultatem grauem in alendis filiis.
- 9 Verius conseo ob praedictam rationem te excusari non posse.

Primo certum est te excusatum esse si coniux adulterium committat te fidem seruante; & debet autem adulterium tibi certum moraliter esse; dum enim tibi non constat, teneris debitum reddere, ipsèque adulter legitime petere potest, dum adulteri crimine non excipitur. Quippe adulterium non ipso iure prius adulterium iure petendi debitum, sed innocenti concedit potestatem ipsum priuandi, & repellendi. Aliàs se ipso iure adulter priuatus esse iure petendi debitum, ante innocentis exceptionem peccaret petendo, quod fecè omnes Doctores negant. Signum ergo est retinere ius petendi quouque ab innocente excipitur, atque adeò debitum non solum ut licitum, sed ut iure debitum postulare possit. Atque ita docent Caiet. 2. 1. tract. 31. opusc. 17. respons. 4. Sotus in 4. d. 36. quest. unica art. 4. Petr. de Soto lect. 16. de matr. Sanch. lib. 1. disp. 68. num. 4. & lib. 10. disp. 10. à num. 8. Coninch. disp. 23. dub. 12. num. 87. Paul. Layman. lib. 5. tract. 10. 3. part. cap. 1. num. 4.

Secundò te excusat diuortium legitime factum, sicuti docent omnes Doctores, quippè hæc exemptio præcipuum illius effectus est, ex quibus autem causis diuortium fieri possit inferius dicemus.

Tertiò est certum te esse excusatum, dum coniux legitime cedit iuri petenti. Poteris tamen hanc cessionem renouare periculo incontinentiæ superueniente, nisi hæc cessione mutua sit, vel voto castitatis confirmata, de quibus infra.

Quartò liber es ab obligatione reddendi debitum, si ex eius redditione prudenter times aliquid graue damnum tuè salutis corporali prouenturum, quia non teneris generationi filiorum, & speciei propagationi vacare cum detrimento proprio. Neque enim potestatem tui corporis coniugi tradis ad coniugalem usum, nisi saluà eius incolumitate, uti ex communi sententia docet D. Thom. in 4. d. 32. quest. unica art. 2. Durand. ibi quest. num. 8. Gab. quest. 1. art. 2. conclus. 1. Sanch. aliis relatis, lib. 9. disp. 24. num. 17. Azor. 3. lib. 5. cap. 1. quest. 20. Laym. lib. 5. tract. 10. 3. part. cap. 1. num. 5. Basl. Ponce, lib. 10. cap. 14. à numero 2. Coninch. disp. 34. dub. 3. numero 20. Galpar Hurtado disp. 10. difficult. 12. num. 53. Ex quo fit, si coniux sit lepra, peste, morbo gallico, alioque contagio infectus nequaquam tibi reddere, si ex Medicorum iudicio periculum contagionis adfit, ob rationem dictam, quia prius proprio indiuiduo, quam speciei propagationi prouidere debes; uti expressè prædicti Doctores asserunt, & deciditur expressè in cap. 1. de coniugio leproforum. Neque contrarium decidit Alexand. III. in cap. 2. eodem. tit. dicens. Si virum, vel uxorem leprosum fieri conigerit, & infirmus à sano debitum exigat, generali præcepto Apostoli quod exigitur est soluiturum: nam Alexand. III. intellexit de solutione debiti vna vel altera vice facta, eo quod præsumptè congressum longo tempore interopolatum nociturum. Quare si hæc præsumptio cesserit, & moraliter constet ex vno coitu graue damnum tibi prouenire posse, nequaquam teneris. Quod verum habet, tamen à principio cognouisses coniugem prædicto contagio infectum esse, quia obligationi conseruandi tuam corporalem salutem, illamque præferendi filiorum propagationi cedere non potest, tamen contra videatur sentire Layman. & Galpar Hurtado loc. alleg.

Ob periculum tamen incontinentiæ docuit Gab. in 4. d. 32. quest. 1. art. 2. Petr. de Ledesma. q. 64. art. 1. circa 2. conclus. difficult. 2. conclus. 3. Rodrig. 1. sum. cap. 243. conclus. 2. te obligatum esse reddere petenti, quia spirituale damnum coniugis præferre debes tuo corporali damno. Sed rectius contrarium censuit alius relatis Sanch. lib. 9. disp. 24. num. 12. Basl. Ponce, lib. 10. cap. 14. num. 2. Coninch. disputat. 34. dub. 3. n. 21. Layman. lib. 5. tract. 10. 3. part. cap. 1. num. 5. Quia illa non est extrema necessitas spiritualis, cui obligatus sis succurrere cum damno tuè salutis corporalis, potest namque patiens periculum alia plura remedia adhibere, quibus diuina gratia adiutus illud vincat.

Quintò, ob eandem rationem excusaris à debiti redditione, si nociua futura sit proli concepta. Neque enim æquum erat cum iactura vniuersi bouum alterius intendere, maxime illius qui nondum in rerum natura existit. Quinimo in probabili sententia excusaris, si proli concipiendæ damnum obuenturum sit, quia leprosa, vel defectuosa timetur nascitura, si eo tempore concipiatur, ut constat ex iis que diximus de licito vsu coniugij tempore mensurari, prægnationis, amenitatis, ebrietatis, &c.